

## Dē uxōre mīlitis et serpente

Fulgentius rēgnāvit, in cuius rēgnō erat quīdam mīles, nōmine Stūder, quī uxōrem pulchram accēpit, sed stultam. In cuius domō quīdam serpēs habitābat in quādam camerā. Mīles vērō torneāmenta et hastiludia frequentābat, in tantum quod dēvenit ad magnam egestātem. Unde flēvit amāre et quasi dē ipsō dēspērātus.

Serpēs vērō vidēns eius dolōrem, data est eī ā deō vōx et ait: "Cūr flēs? Fac secundum meum cōnsilium et post factum nōn paenitēbis! Singulīs diēbus mihi dē lacte ministrēs, et tē dītābō." Mīles haec audiēns eī fidēliter hoc adimplēre prōmīsīt. Statim īnfra tempus breve dītātus est valdē et habēbat prōlem pulcherrimam et possessiōnēs magnās.

Accidit ūnā diē, quod uxor sua eī dīcēbat: "Domine, ut crēdō, iste serpēs multa bona possidet in camerā, in quā iacet. Cōsulō, ut occīdātur, et bona omnia obtinēbimus."

Ille vērō ad instīctiōnem mulieris malleum portābat, ut serpentem occīderet, in ūnā manū et lac habēbat in vāse in alterā manū. Cum vērō vas lactis serpēs vidēret, extrā cameram caput extendit, ut lac lamberet mōre cōnsuētō. Mīles vērō grandī ictū ad serpentem percussit; sed serpēs caput retrāxit, et malleī ictum vās suscēpit. Statim cum tālis prōditiō fuisset facta, prōlem et omnia bona mīles āmīsīt.

Ait eī uxor: "Heu mihi, malum cōnsilium tibi dedī! Sed perge modo ad forāmen serpentis et humiliā tē sibi, et forte dabit tibi grātiām iterātō bona recuperandō!" Perrēxit mīles ad cameram serpentis et flēvit amāre, petēs grātiām, ut per eum, sicut prius, ad dīvitiās sit relevātus.

Ait serpēs: "Modo videō, quod stultus sīs, quia nōn potest esse, quīn ille ictus magnus malleī, quem vas suscēpit locō capitis meī, venīret ad memoriām meam; et etiam, quōmodo occīdī prōlem tuam, occurreret tibi, et omnēs dīvitiās tibi abstulī, et sīc nūlla pāx stāre posset." Ille vērō recessit contrīstātus et semper posteā in egestāte vīxit.